

Resp. *dist.* Major. Veritas est similitudo importans qualemcumque convenientiam, *neg.*, importans adaequationem et commensurationem intentionalem, modo jam declarato, *conc.*

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq.

Utrum eadem
propositio
vera simul et
falsa esse
possit.

32. SCHOLIUM. Solebant hic plures Logici antiqui et illam agitare quaestionem, utrum eadem propositio possit simul esse vera et falsa, sive respectu diversorum objectorum sive respectu ejusdem. Respectu diversorum objectorum videtur prima fronte propositio posse simul vera et falsa esse, si sit copulativa, ratione plurium membrorum, quorum aliud sit verum, aliud falsum, ut si dicas: *Magister docet ac discipuli cantant in schola.* Sit primum horum verum et alterum falsum, et habebis propositionem respectu diversorum simul veram et falsam. Nihilominus si in memoriam revoces, quae de copulativa propositione dicta sunt, illico videbis illam veram simul et falsam esse non posse; cum enim indoles illius ac natura postulet simultaneam veritatem omnium partium, si aliqua earum falsitate laboret, tota simpliciter falsa dicenda est. At quia istae propositiones aequivalent pluribus simplicibus, ex quarum copulatione coalescunt, saepe considerantur quasi dissolutae ac divisae in illas, et hoc modo conceduntur quoad partem veram, et negantur quoad falsam.

Relate ad unum idemque objectum utrum possit propositio vera simul esse ac falsa, dubitari potest propter illud genus propositionum, quae *insolubiles* dici solent ac *seipsas falsificantes*, quae nempe falsae videntur esse eo ipso, quod sunt verae, et verae hoc ipso, quod sunt falsae. Dicitur v. g. aliquis: *Ego nunc dico falsum*, nempe *in hac ipsa assertionem mea.* Si vera est ista propositio, eo ipso falsa est; si enim verum est me nunc dicere falsum, ergo falsum dico, atque adeo falsa est mea illa propositio, eo ipso quod sit vera. Si autem falsum est me nunc dicere falsum, ergo verum dico; ac proinde vera est mea propositio, eo ipso quod falsa supponatur. Finge item, quod dum Petrus dicit intra se: *Paulus nunc affirmat verum*, Paulus e converso affirmat: *Petrus affirmat falsum*: ista duo judicia circa idem objectum vera simul sunt et falsa. Nam si iudicium Petri verum est, vera est propositio Pauli. Sed Paulus dicit, iudicium Petri falsum esse. Ergo si iudicium Petri verum esse supponitur,

Quid dicendum
de propositionibus
insolubilibus seu
se ipsas
falsificantibus.

falsum est. Si autem iudicium falsum est, falsum est quod Paulus affirmet nunc verum. Sed Paulus affirmat nunc Petrum affirmare falsum. Ergo falsum est, Petrum affirmare falsum, seu Petrus affirmat verum; nempe si falsum est iudicium Petri, verum est.

Hisce non obstantibus, manifestum est eandem propositionem non posse simul esse veram et falsam. Nam propositio dicitur vera vel falsa ex eo, quod objectum est, vel non est. Ergo ad hoc ut propositio sit vera simul et falsa, deberet objectum simul esse et non esse. Atqui hoc repugnat ex principio contradictionis. Ergo nequit propositio simul vera esse et falsa.

Similiter probabis propositionem quamlibet aut esse veram aut falsam. Nam si propositio est vera vel falsa ex eo, quod objectum est, vel non est, propositio eatenus nec vera nec falsa esset, quatenus objectum eius nec esset, nec non esset. Atqui ex principio exclusi medii quodlibet aut est, aut non est. Ergo...

Cæterum non morabor in extricandis nugis propositionum illarum se ipsas falsificantium, quas ideo insolubiles dixere, quia prima specie solvi non posse videntur; nullum enim usum in scientiis habent. Si quis tamen huiusmodi technas explicatas videre velit, adeat Sylvestrum Mauri (1), vel Andream Semery (2), vel Gregorium Rhodes (3), vel Joannem de Benedictis, aut alios veteres auctores.

Nequit eadem
propositio
vera simul
esse et falsa.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE VARIIS MENTIS STATIBUS IN ORDINE AD VERITATIS ASSECUTIONEM.

33. Assequi veritatem est assequi cognitiones objectis conformes. Varii autem sunt status mentis in ordine ad veritatis assecutionem: nimirum status *ignorantiae*, *dubii*, *suspi-*

Quintuplex
status in
ordine ad
verum
assequendum

- (1) *Quaestion. philos.*, tom. 1, quaest. 60, ad 2.^{am} et 3.^{am}
(2) *Trienn. philosoph.*, t. 1, disp. 5, quaest. ult. art. 1, *Quaeritur 2.*
(3) *Philosoph. perip.*, lib. 1, disp. 3, quaest. 2, sect. 2, paragr. 2.

cionis, opinionis et certitudinis. Cujus divisionis hæc reddi ratio potest. Circa objectum enim quodlibet vel habet mens aliquam cognitionem vel nullam. Si omni careat cognitione, versatur in *ignorantia*. Si aliquam habeat cognitionem; vel hæc iterum cognitio continet assensum ac iudicium, vel non. Si non, adest *dubium*, quando neque adest inclinatio ad iudicandum, et *suspicio* quando adest propensio aliqua impellens ad iudicium. Si vero iudicium contineat; vel firmum atque infallibile, vel formidolosum ac fallibile; et cum cognitio habet iudicium firmum, adest *certitudo*; *opinio* vero, quando iudicatur cum formidine oppositi ac titubatione (1).

De singulis agendum est seorsim:

CAPUT I.

DE COGNITIONIBUS INCERTIS

ARTICULUS I.

De ignorantia, dubio, ac suspicione.

Quid ignorantia:

Quotuplex.

Distingui potest a nescientia.

34. *Ignorantia* importat *scientiæ privationem*. Et potest esse vel *totalis* vel *partialis*, prout vel nulla omnino, vel aliqua cognitio habeatur. Ignorantia, saltem partialis, est patrimonium commune mortalium in hac misera vita; fieri enim non potest, quin vel doctissimos homines plurima lateant.

Ignorantia distinguitur a *nescientia* et *errore*. Nam *ignorantia* in hoc a *nescientia* differt, quod *nescientia* dicitur *simplicem scientiæ negationem*; unde cuicumque deest aliquarum rerum *scientia*, potest dici *nescire* illas: ignorantia vero impor-

(1) Cfr. S. Thom. 3.^a dist. 23, q. 2, a. 2; de *Veritate*, quæst. 14, art. 1; 1, 2. quæst. 67, a. 3; 2. 2. q. 2, a. 1; lib. 1.^{us} *Poster. Analyticor.*, lect. 1.

Mentionem *fidei* nullam in hac divisione facimus, quia *fides* non distinguitur ab aliis cognitionibus nisi ex formali motivo assensus; atque indifferens est ex generali ratione ad opinionem ac certitudinem. Aliquid tamen de ipsa etiam dicitur suo loco.

tal scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire (1).

Ab errore autem differt, quia error, ut supra vidimus, est actus positivus, nimirum iudicium objecto dissonum. Quare error contrarie opponitur veritati, ignorantia autem privative (2).

35. *Dubium* est hæsitatio mentis in neutram contradictionis partem inclinantis. Duplex est: alterum *positivum, negativum* alterum. *Dubium negativum* adest, cum neque ad assensum neque ad dissensum apparet ratio sufficiens; quare videtur in ignorantiam partialem recidere. Cum enim hujusmodi *dubium* occurrit, revera non habetur nisi levis quædam objecti notitia. Ita dubitamus vel potius ignoramus, num astra sint paria.

Dubium vero positivum adest, cum hinc inde menti obijciuntur rationes, minime tamen pares assensui aut dissensui extorquendo (3).

Dubium potest quoque *prudens* esse, vel *imprudens* ac *temerarium*. *Prudens* est, cum adsunt rationes suspensionem iudicii suadentes. *Imprudens* vero, si secus accidat. Sic imprudenter quis dubitaret de consecratione hostiæ, super quam videt sacerdotem solemnem consecrationis formulam pronuntiare: imprudenter etiam dubitat, num baptizatus revera sit, qui parochi sui testimonium habet de proprio baptismo.

36. *Suspicio* est propensio quædam mentis ad iudicandum (4). Convenit proinde cum dubitatione, quia utraque carentiam importat iudicii, differt autem ab ea, quia suspicio inclinat ad unam partem contradictionis amplectendam;

(1) S. Th. 1, 2. quæst. 76, a. 2. Cfr. de *Malo*, q. 3, a. 7.

Alia etiam divisio ignorantie proponitur a S. Thoma (lib. 2 de *Anim.*, lect. 11, paragr. c.) in ignorantiam *secundum simplicem negationem* et ignorantiam *secundum prævam dispositionem*, prout adsit mera ignorantia rei vel ignorantia adjuncta cum errore opposito. Cfr. de *Malo*, quæst. 3, a. 7.

(2) Cfr. S. Th. 4.^a Dist. 30. quæst. 1, a. 1. ad 1.^{am}; de *Malo* q. 3, a. 7. Recole superius notata (*Logic. Majori*, disp. 1. cap. 1, art. 2, n. 6 seqq.)

(3) Divisionem hanc explicat Angelicus Doctor in quæst. 14 de *Veritate*, a. 1. Sic igitur intellectus noster possibilis, etc.

(4) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 2, art. 1.

et ab errore.

Quid dubium:

duplex est: negativum et positivum:

item prudens et imprudens.

Suspicio differt a dubio.

dubitatio autem proprie dicit indifferentiam iudicii rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quod neutrum praeligat alteri (1).

Radix
suspicionis.

Radix suspicionis potest esse vel in subjecto vel in objecto. Aliquando enim oritur suspicio ex ipsa dispositione affectuque animi, qui etiam absque rationibus objectivis ad certum aliquod iudicium inclinatur: talis enim est in dolens non paucorum hominum (2). Sed hæc est imprudentissima suspicio. Sæpe autem aliæ occurrunt objectivæ rationes pro una parte contradictionis, leves quidem, sed sufficientes ad inclinandam mentem ad assensum, licet non sufficientes ad assensum de facto prudenter suadendum. Ad suspicionem vel potius ad opinionem revocari potest

Conjectura. Conjectura vel conjectatio, quæ in eo consistit, quod ex quibusdam signis non penitus infallibilibus adducimur ad aliquid iudicandum vel opinandum (3).

ARTICULUS II.

De opinione et probabilitate, ubi pauca de fide.

Quid opinio.

37. Opinio est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius (4), seu assensus vel dissensus præstitus alterutri parti contradictionis cum formidine oppositi. Ubi clara sunt omnia præter ultimam particulam cum formidine oppositi. Quid enim est formido, inquires?

Quid formido.

Formido proprie ac formaliter est affectio facultatis appetitivæ, nimirum timor, seu affectus in appetitu genitus ex apprehensione mali propinqui et impendentis (5). Intellectui

(1) S. Bonavent. 3.^a distinct. 17, dub. 3; Cfr. S. Th. lib. 1. *Poster. analyticor.*, lect. 1.

(2) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 60, art. 3.

(3) Vide S. Th. 1. 2. q. 112, art. 5.

(4) S. Th. 1. p. q. 79, a. 9, ad 4.^{um} Vide Arist. 1.^a *Poster. c.* 26; et ib. S. Thom. lect. 44, et Mauri in Paraphrasi c. 24. Cfr. S. Thom. 1. 2. q. 67, a. 3. in corp.; 2. 2. q. 1. a. 5. ad 4.^{um}; de *Veritate*, q. 14, a. 9, ad 6.^{um}

(5) Cfr. Aristot., lib. 2 *Rhetoricor.*

ergo timor ac formido solum improprie tribui potest, in sensu videlicet causali; et significat actum aliquem, qui formidinem ac timorem generat deceptionis in voluntate. Quisnam porro actus intellectus hanc habet virtutem? Illa cognitio et apprehensio, qua existimetur rem aliter quoque posse esse, ac proinde in hoc vel illo proferendo circa illam iudicio, aliquid adesse periculum errandi. Nemo arbitratur se opinari, scribit Aristoteles, quando arbitratur fieri non posse, ut aliter res se habeat, sed tunc putat se scire. Verum quando arbitratur esse quidem rem ita, existimat autem et aliter se habere posse, nihil prohibet illum tunc opinari, quia talis quidem rei est opinio, necessaria vero scientia (1). Nam cum existimat intellectus rem aliter esse posse, nequit non voluntas deceptionem formidare.

38. Formido potest esse prudens et imprudens. Prudens est, quæ motivum habet sufficiens ad timendam falsitatem: imprudens vero, quæ non fulcitur ejusmodi motivo. Prudentis enim viri est non formidare, nisi cum adest ratio formidinem suadens. Sola autem possibilitas absoluta erroris non potest prudentem gignere formidinem. Prudens enim non est formidare, nisi quando adest mali periculum, periculum autem est appropinquo mali. Atqui sola possibilitas erroris non est propinquo erroris. Ergo sola possibilitas absoluta deceptionis non sufficit ad prudentem formidinem.

Est autem sufficiens motivum probabilitas aut etiam moralis possibilitas erroris, ex eo quod sæpe in similibus casibus error contingat, vel ex eo quod error hic et nunc contingere possit absque læsione principiorum essentialium et absque ullius violatione legis, sive physicæ sive moralis.

Formido ita explicata quandoque est necessaria, quandoque libera. Est necessaria, quando evidens est ac manifesta fallibilitas motivi atque infirmitas; tunc enim non potest non judicari erroris periculum. Ut si quis audiat loquentem hominem, quem sæpe deprehendit mendacem, nequit absque formidine narrationi illius assentiri, nisi forte aliunde constaret impossibilitas mendacii in casu præsentis. Alias vero non est evidens infirmitas motivi, sed tantum probabilis, et tunc

(1) Arist. lib. 1. *Poster. analyticor.*, cap. 26 (ad 33). Cfr. S. Th., ib., lect. 44, paragr. e; et alii commentatores ibid.

Formido
prudens
et imprudens,

undenam
gignatur.

libera relinquitur voluntati formido, et potest imperio illius aut præcipi aut etiam impediri (1).

Formido hactenus declarata vocatur *formalis*, quia est verus et formalis actus mentis, vi cuius advertimus et iudicamus nos aliquam propositionem amplectendo in deceptionis periculo versari. Et quando hic timor existit in mente, revera duo actus ponuntur ab illa: alter, quo directe iudicamus circa materiam propositam; alter vero concomitans, quo reflexe iudicamus in illo directo iudicio periculum adesse falsitatis: et in hoc secundo actu reflexo consistit formalis formido in superioribus explicata.

Præter hanc autem formidinem altera distinguitur a multis formido, *radicalis* seu *permissiva*, quæ est potentia formidinis formalis. Sæpe enim dantur iudicia motivis incertis, aut non prorsus firmis, vel saltem non evidentibus, innixa, in quibus, licet forte de facto ob ignorantiam, temeritatem, imprudentiam aut passionem iudicantis, non adsit *actualis* ac *formalis* formido, tamen adest potentia formidandi, orta ex fallibilitate aut saltem obscuritate fundamenti, quæ si pacate consideretur a mente, facere debet illam formidare (2).

Et hæc formido potentialis videtur sufficere ad hoc ut assensus sit opinativus, licet intellectus ob quamcumque demum causam actu non formidet (3); quamquam nonnulli Thomistæ censeant apud Rubium et Quiros (4), formidinem actualem esse de ratione opinionis. Nihilominus probari potest formidinem actualem non esse de essentia opinionis ex manifesta experientia, quia passim docti homines in scien-

Formido
formalis seu
actualis, et radi-
calis seu
potentialis.

Sufficit radicalis
formido ad
opinionem.

(1) Cfr. de his P. Haunoldus, *De Fide*, Controv. 5. n. 244-251; et Cardin. Lugo de *Fide*, disp. 6, sect. 1, n. 23; Ripalda, de *Fide*, disp. 11, sect. 3, n. 28 seqq.; De Benedictis, *Logic.*, lib. 4, quæst. 3, cap. 3.

(2) Lossada, *Logic.*, tract. ult., disp. 2, n. 35; Cardin. Ptolom. *Philosoph. mentis et sensuum*, Dissert. 37. *Logico-Physic.*, n. 7; Mastrius, *Disputationes in Organ. Aristot. seu Logic.*, disp. 14, quæst. 1.^a Cfr. Joann. a S. Thoma, *Logica*, quæst. 26, art. 4; Mayr., *Philos. Perip.* Part. 1, disp. 6, n. 967.

(3) Vide P. Anton. Rub., *Log.*, lib. 1.^a *Poster.*, tract. 3, de *Opin. et fid. human.*, q. 1; Ant. Bernald. Quiros, *Curs. Philos.*, tract. 2, part. 6, disp. 35, sect. 1, a. n. 3; Fonsece lib. 6.^a *Metaph.*, cap. 1, q. 1, sect. 4, ad 4.^{am}; Mastrius aliosque AA. statim citandos.

(4) Locis citatis.

tiis propugnant opiniones absque actuali formidine de opposito, ut videre est in variis systematis, quæ magno animorum æstu solent in disputationibus librisque scriptis tractari.

Item sunt plures alii, qui res incertas, immo et manifestos errores non minori pertinacia nec infirmiori adhesionem mentis, nihil dubitantes, defendunt, quam res certissimas et necessarias, ut jam pridem notaverat Aristoteles (1): ex quo etiam colligitur de formidine tantum virtuali esse interpretanda quædam vel Philosophi vel S. Thomæ loca, in quibus docetur de ratione opinionis esse formidinem.

Est ergo opinio assensus formidolosus, seu iudicium essentialiter continens oppositi formidinem, sive actualem ac *formalem*, sive saltem potentialem ac radicalem (2), quia non est infallibilis, sed errori obnoxius, ac proinde incertus. Et in hoc differt opinio ab actu *scientiæ*, nam de opinionis, quantumvis probabilis, essentia est, ut sit fallibilis, vel indifferens ad verum vel ad falsum; de ratione vero *scientiæ* est, ut repugnet natura sua falsitati, seu sit actus infallibilis (3). Quæ causa est etiam, cur sæpè S. Thomas scripserit habitum opinionis esse non posse virtutem intellectualem. Quia proprium est virtutis intellectualis esse bonam intellectus qualitatem; et quoniam bonum intellectus est verum, virtus intellectualis debet esse habitus ad verum semper inclinans. At vero opinio non est habitus huiusmodi, sed indifferenter se habet ex natura sua sive ad verum sive ad falsum (4).

Dices 1.^o Dantur assensus opinativi intrinsece ac necessario veri, illi nempe, qui versantur circa objectum necessarium aut impossibile, illudque, prout in se ipso est, enunciant. Atqui repugnat assensum intrinsece ac necessario

Proprietas
opinionis, quod
possit
falsa esse.

(1) Vide Arist. lib. 6.^a *Ethicor.* c. 3; et ib. S. Thom., lect. 3.

(2) S. Thom. 1. 2. q. 67, a. 3; et vide Conimbricenses, *Dialect.* t. 2. In cap. 26 de *Scient. et Opin.*, quæst. 1, art. 4.

(3) Vide Fonsece lib. 6 *Metaphys.*, cap. 1, q. 1; Conimbr., Rub. Tolet. aliosque passim veteres auctores in Lib. 1.^{um} *Posterior. analytic.*, cap. 26, cum Aristot. ibid. et S. Th. ibid. lect. 46.

(4) Vide S. Doctorem 1. 2. q. 55, a. 4; q. 57, art. 2, ad 2.^{am}; 2. 2. q. 1, art. 3, ad 1.^{am}; de *Verit.* q. 14, a. 8; q. 18, a. 6; de *Virtutib.* q. 1, a. 2. Cfr. lib. 1.^{um} *Contra Gent.*, cap. 61; lib. 6 *Ethicor.*, lect. 3, initio.

verum esse falsum. Ergo verum non est omnem actum opinionis esse indifferentem sive ad verum sive ad falsum.

Resp. neg. Maj. quoad 1.^{um}, videlicet quod dentur assensus opinativi intrinsece veri.

Dist. Maj. quoad 2.^{um} membrum: dantur assensus probabiles *necessario* veri, necessitate extrinseca proveniente ab objecti necessitate naturali, *conc.*, necessitate intrinseca, orta ex exigentia ipsius actus, *neg.*

Conc. Minor. quoad 1.^{um} membrum: quoad 2.^{um} *contra-dist.*: tum *neg.* conseq.

Dices 2.^o Saltem opinio prudens nequit falsa esse. Et ratio est, quia prudentia est virtus intellectualis. Virtus autem intellectualis, ut nuper notabamus cum Angelico, falsitate infici aut ad falsitatem inclinare nequit. Ergo vera generatim non est doctrina, statuens assensum opinativum indifferentem posse esse verum vel falsum.

Resp. neg. assert. Nam in opinione prudenti duplex actus distinguendus est; alter est ipse formalis assensus opinativus, quo enunciatur aliquid cum formidine oppositi, alter vero est actus prudentiæ dictans assensum hic et nunc adhiberi posse pro merito motivorum. Et huiusmodi quidem dictamen, a prudentia profectum, verum est; at assensus formalis opinionis, qui simul cum hoc actu prudentiæ, ponitur, falsus esse potest.

Quale objectum
opinionis

Hinc iudicari potest, qualenam sit objectum *opinabile*, seu circa quod opinio versatur, ad differentiam objecti *scibillis*, seu certo cognoscibilis. Nam quoniam actus certus et scientificus, ut mox explicabitur, infallibilis est, oportet, ut habeat objectum necessarium, seu tale, quod nequeat aliter esse, sive absolute sive hypothetice. E converso objectum opinionis, aliquo saltem modo, est contingens.

Verum quia non semper opinio versatur circa objecta, in seipsis contingentia, sed non raro terminatur quoque ad objecta in se necessaria, quæque sunt proinde, per se loquendo, objecta scibilia; videndum est accuratius, quale debeat esse objectum opinabile, atque adeo quomodo distinguatur actus scientiæ ab actu opinionis ex parte objecti.

Primum ergo, est objectum peculiare ac proprium opinionis, circa quod versari nequit actus certus et scientificus,

nampe objectum contingens seu indifferentis ad utrumlibet, *qualenus tale*: Hoc pacto futura contingentia, *qualenus adhuc continentur in dispositione causarum, et nondum sunt in se ipsis*, nequeunt esse objectum scientiæ et cognitionis certæ, sed solum opinativæ cognitionis. Et in hoc sensu docet S. Thomas, et alii communissime, ut in Theologia videbimus, futura contingentia, *prout futura*, seu *spectata secundum causarum dispositionem*, ne a Deo quidem certo cognosci posse.

Deinde objectum etiam necessarium potest esse opinabile, seu non sciri, sed opinative dumtaxat attingi, si cognoscatur per medium pure probabile, seu non necessario connexum cum enuntiabilis veritate. Ut si asseras animi humani immortalitatem ex sola auctoritate viri docti; testimonium enim viri docti potest fallere, talisque est naturæ, ut non inferat necessario veritatem rei testatæ.

Denique licet objectum sit in se necessarium; et cognoscatur etiam ex medio per se infallibiliter connexo; potest adhuc esse opinabile, si desit evidentia. Objecta enim inevidentia cum non sint aciei mentis sufficienter proportionata, non repugnant illam in eorum contemplatione decipi (1).

Quare actus, qui aut objectum pure contingens attingit, aut objectum quidem necessarium attingit, non vero ex medio necessario, aut saltem non evidenter, actus opinativus est; nec certus esse potest, qui non versetur circa objectum necessarium et evidens, atque ex medio necessario et evidenti, si sermo sit de actu certo *naturalis ordinis*. Et sic patet quale sit objectum opinabile, et quomodo ab objecto scibili vel certo discriminetur.

39. Opinio dividitur in *probabilem* et *improbabilem*. Improbabilis est, cum non suppetunt, aut certe non cognoscuntur rationes sufficientes ad assensum etiam formidolosum. Probabilis est, quæ solido nititur fundamento, non tamen tam gravi, quod valeat ad expellendam omnem formidinem (2).

Opinio
probabilis
et improbabilis.

(1) Cfr. Tolet. in 1. p. q. 1. a. 2. *Hic unum debes notare; Logic. lib. 1.^o Posterior. cap. 26. Unde triplex est opinabile.*

(2) *Probabilia enim sunt, inquit Stagiritæ, (1.^o Topicor. cap. 1.^o) quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, et his, vel omnibus, vel plurimis, maxime notis et claris.* Huiusmodi autem hominibus probari nequeunt, nisi quæ solido fulciuntur pondere motivorum.

Opinio
prudens
et imprudens.

Cui divisioni affinis est illa alia in *prudenter et imprudenter* seu *temerarium*. Prudens est illa, quæ regulis prudentiæ conformis est, seu quæ gravi nititur fundamento attente et mature examinato. Postulant enim regulæ prudentiæ in primis ut ante assensum diligens præmittatur examen et consideratio, quantam, iudicio gravium virorum, res proposita meretur. Deinde vero eadem prudentia dictat, ut firmitas assensus merito rationum ac motorum adamussim respondeat. Imprudens vel temeraria e converso est illa, quæ legibus prudentiæ repugnat, seu quæ aut non nititur gravi motivo, aut illud non satis expendit, assensumve continet firmiorem, quam postulet rationum pondus. Potest tamen imprudens opinio vera esse, sicut e converso prudens ac prudentissima falsa esse potest.

Facile porro vides, aliud requiri ad prudenter opinandum, aliud ad prudenter suspicandum, aliud ad prudenter dubitandum. Unde circa eandem omnino rem potest prudens haberi opinio, circa quam esset imprudentissimum dubitare. Et e converso ratio, quæ suadet prudens dubium et assensus suspensionem, potest impotens esse ad imperandam prudentem opinionem.

Probabilitas
et
improbabilitas.

40. **Hinc patet** quid sit *probabilitas et improbabilitas* opinionis. Probabilitas (1) est pondus ac robor rationum sufficiens ad suadendum prudenter assensum formidolosum: et improbabilitas est infirmitas motorum, quæ non valent ad prudentem assensum permovere.

probabilitas
intrinsicæ
et extrinsecæ.

Probabilitas duplex est, *intrinsicæ* et *extrinsecæ*. Extrinsicæ est illa, quæ petitur ex auctoritate Doctorum, qui sententiam aliquam profitentur: et mensuranda est non tam ex *numero* quam ex *pondere* ac doctrina illorum. Intrinsicæ probabilitas est, quæ derivatur ex aliis motivis, quam ex auctoritate, nimirum vel ex motivis, objecto ipsi internis, vel ex ejus causis, effectibus, ac signis ipsius generatim.

Quo sensu

Dici a quibusdam solet extrinsecam probabilitatem supponere intrinsicam. Ego rem sic intelligo; extrinsecæ probabili-

(1) Vocatur etiam *verisimilitudo*. Hinc S. Bernardus (lib. 5, de Consider. c. 2) scribit: *Opinio certè nihil habens, verum per verisimilita quærit potius, quam apprehendit*. Cfr. S. August., *Contra Academicum*. lib. 3, c. 15.

extrinsecæ
probabilitas
intrinsicam
supponit.

tas supponit intrinsicam hoc sensu, ut nullus Doctor veram auctoritatem habeat fundetque probabilitatem extrinsecam, nisi generatim sententias amplectatur, gravibus nixas fundamentis objectivis; unde in re quavis proposita præsumi ac credi possit illum solidis duci motivis. Non verò extrinsecæ probabilitas supponit intrinsicam eo sensu, ut nunquam possim amplecti sententiam, quam tuentur graves DD., quin mihi compertæ sint et probentur intrinsicæ rationes, quibus illi suam stabiliunt doctrinam. Secus enim rudibus esset impossibile in multis materiis ullam prudenter sectari opinionem, cum impares prorsus sint investigandis intelligendisque rationibus intrinsicis atque objectivis.

Probabilitas
absoluta
relativa.

Dividitur etiam probabilitas in *absolutam et relativam* seu *comparativam*: unde opinio redditur *absolute* vel *relative* probabilis. Opinio est absolute probabilis si absolute ac solitario considerata probabilitatem habet; relative autem, si etiam spectata contraria opinione suam retinet firmitatem ac probabilitatem (1). Sciendum namque est, quod

Major
non elidit
minorem.

Major opinionis alicujus probabilitas non necessario destruit minorem, atque adeo dari opiniones relative probabiles. Et ratio est, quia ut major unius opinionis probabilitas eo ipso redderet improbabilem contrariam sententiam, oporteret, ut rationes fortiores illius vim destruerent argumentorum alterius. Atqui id non semper ac necessario evenit. Ergo...

Major patet. Quia nisi rationes minus fortes elidantur fortioribus, suum retinent robur ac probabilitatem.

Minor. Quia non semper rationes unius opinionis sunt contradictoriæ aut contrariæ rationibus alterius, sed sæpe disparatæ, atque ex diversis capitibus petitæ. Tunc ergo rationes illæ se habent instar diversorum colorum, qui licet varient in intensitate, non desinunt esse visibiles.

Quin etiam, quamvis aliæ aliis rationibus contrariæ aut contradictoriæ opponantur, fieri potest ut non *evidenter* sese

(1) Alii tamen, potissimum recentiores, rem aliter explicant, illamque vocant *absolutam* probabilitatem, quæ, spectata natura mentis humanæque voluntatis, vim habet permovendi hunc vel illum pro peculiari ejus ingenio et conditionibus personalibus. Vide P. Gury in sua *Morali Theologia*, et PP. Tongiorgi et Palmieri in *Logica*, ubi de hac materia disputant.